

369^c 5.

ANATOMEN
HOMINIS RECENS NATI
REPETITAM
SISTIT
ET
ANATOMIAM
CORPORIS ADULTI
FOEMININI

DIE XXVII. FEBR.

HORA II. POMERIDIANA

INCHOANDAM

INDICIT

D. IO. ERNEST. HEBENSTREIT.

ANATOM. ET CHIRVRG. P. P. ORD.

Anat.

A.

224,2

Disj anat 23 4)

ANATOMIA

HOMINIS RECENTIS NATI

REPETITAM

SISTIT

ET

ANATOMIAM

CORPORIS ADULTI

FORMINI

DISSERTATIONE

HORA II. POMERIDIANA

INCHONDA

INDICIT

D. IO. ERNEST. HERBENSTREIT.

ANATOM. ET CHIRURG. P. P. ORD.



Pergrata mihi et discipulis res contigit nuper, cum Procerum urbis favore, homo recens natus opportunitatem faceret, organa, quae vitam foetus in utero sustinent, penitus rimandi et quibus viis circuitum sanguis in tenello celebrare soleat, praesentium oculis exponendi. Quid illo tempore inter nos actum fuerit, dum ad anatomiam hominis adulti proludendum est, commilitonibus, quo reminiscantur, exponam. Puella altero ex quo nata fuerat, die defuncta, omnium, quibus ante natiuitatem adstringimur, conditionum integritatem seruauit. Nempe et quae in externo corporis habitu penes Embryonem obseruari solent, omnia constiterunt. Tragus et antitragus auriculae fere coniucentes meatum auditorium praecludebant, nec tamen licuit peculiarem istam a Kerkringio, (a) Ruyschio, Heistero, Trewio, (b) descriptam membranulam persentiscere, quam membranae Tympani praetensam et eidem adhaerentem, in securitatem tympani, non aliter ac piscibus et amphibiis concessum

id

(a) Osteogenia foetus Cap. V.

(b) Commendabilis est, quem eruditus Vir, D. Christoph. Iac. Trewius. Dissertatione Epistolica de Differentiis quibusdam inter hominem natum et nascentium intercedentibus composuit, Libellus, quem in hoc argumento recentissimum diligenter comparavi: Prodiit Norimberg. 1736. 4. c. Fig. aen.

X

id est, natura perfecit, siue quod fortuna minus faueret, siue quod iam a tremantibus aurae sonis isthaec rupta dehisceret. Obseruauimus nil minus viscidum ferum ex areola et papilla mammillarum leui pressione prodire, quale quid non foemellae tantum sed et puelli commonstrant, quorum glandulae sebaceae a Morgagnio descriptae, sero, nec tamen lacte, turgentes reperiuntur. Moris est Obstetricibus pessima consuetudine putatum istud lac exprimere, vnde cancro mammarum occulto haud paucae a natiuitate laborant. Supererat funiculi umbilicalis portio, quem duplici arteria una vena, et quem negare temere non sustinemus, Vracho constantem et peculiari Peritonaei processu inuestitum in praeparatis commonstrauimus, vna cum placenta uterina et membranis foetum obuoluentibus. In votis habemus aliquando futuros, qui in salutis humanae commodum et literarum incrementum exuere nescio quam verecundiam velint, quo denique de legitimo foetus domicilio coram intuentibus constare possit. Interea dedimus ex embryone vitulo Allantoidem placentulis adnatam et eandem amnio chorioque interiacentem exhibuimus. Nempe de Allantoidis istius penes hominem existentia nondum inter omnes constat, brutis equidem eandem largiti sunt antiqui medici et recentiores omnes, ast propter obseruationum circa arduum isthoc negotium penuriam, et quod rarius foetus secundinis obuolutos conspiciant plerique, in homine negare sustinuerunt peritissimi in arte viri, Bartholinus, Drelincurtius, Fallopius, ab Aquapendente Clar. Heisterus et Trewius. Veteres omnes praeter Ruffum Ephesium (c) homini hanc largiuntur, translata a brutis ad hominem eius probabili existentia prout Aetius id perfecit. (d) Hinc eandem ex recentioribus adstruxerunt equidem Vesalius et Columbus ast nunquam vidisse reputandi sunt, quod toti foetui obuol-

(c) Libro de Part. appellationibus cap. vlt. vbi Allantoidis haud meminit.

(d) Tetrabibl. IV. Serm. IV.

obuoluta ab his statuatur. Curatius istam descriptam dederunt Needham, Hobokenius, Bidloo, potissimum Halaeus et recentius, celeberrimus Albinus, qui eandem intra amnion chorionque haerentem vesica urinaria capaciore auditoribus demonstrasse dicitur ab erudito viro Neufuille, qui in sua de Allantoide humana dissertatione, sollicitè collegit quidquid ad istius argumenti declarationem spectat. (e) Cum umbilicalem funem abdomini immersum prosequeremur, id potissimum perfecimus quo de via urachi constaret, quem inter vtramque arteriam umbilicalem medium, aliquo spatio in duplicatura peritonaei progressum denique cum eodem in fundum vesicae delapsum eademque irradiatum conspeximus. Prima tunc cura fuit resciscere an patens ille esset, et spes nos aluit, quandoquidem in adultis adhuc apertus fuerat visus, (f) in tenello adhuc conspicuum fore eius canalem. Flatu immisso incassum tentari negotium monitus fueram a laudato Neufuille, hinc hydrargyro repleui vesicam, quam procliuem imo perpendiculariter dependentem reddidi. Sed superare ille tuberculi quod in fundo vesicae neogenitorum aequè ac adultorum esse solet, quoque urachi orificium praestruitur, resistantiam vel nequiuit, vel collapsus iam erat urachus, vel infelices fuimus in negotio, certe ea omnia perfecimus, quae sic facile fieri dixerat laudatus Neufuille (g): *Liquor per urethram iniectus per urachum prodibit: urethra constricta et vesica liquore impleta, per urachum manat liquor.* Tinctum croco liquorem vesicae iniectum successu temporis, prout Riddleius id simplicis aquae usu perfecerat, depluere posse sperabamus, sed inanis fuit labor. Interea sicut faciles sumus in iis asseuerandis, quae inter optata habemus, sic et accidit, quo incisus urachi tunicis,

(2

caui-

(e) Ludouici Neufuille Med. Doct. de Membrana Allantoide Dissertatio ex duabus, quae prodierunt. Lugd. Bat. 1736. 8uo, prior.

(f) Sennertus Libr. Praxeos 3. p. 8. Sect. 2. Cap. 10.

(g) Loc. cit. §. X.

(A)

cauitatem eius coram intueremur, qui flatum stylumque admitteret, sed dubii nil minus exinde remansimus ligamentumne esset an Canalis urachus. (b) Quodsi istud experimentum male cessit, in reliquis expediendis feliciores extitimus. Arteria utraque umbilicalis inter peritonaei duplicaturam progressa vesicae lateribus arcte adhaesit, ita quidem vt certum sit, ligamentorum lateralium munere pro obfirmando vesicae situ, arterias haec in adulto homine fungi. Iucundum fuit spectaculum, immisso per alterutram flatu corpusculum intumuisse, imo cum intensius sufflarem per venam umbilicalem, regurgitasse auram, quod sic contigit, dum aër per aortam ad sinistrum cor adsurgens canali arterioso, in pulmonalem arteriam hinc ad dextrum cor, denique superata resistentia tricuspidalium valuularum ad venam cauam, porro mediante canali venoso ad venam umbilicalem regurgitauit. Deprehensum fuit paulo post, ex Iliaca interna utrinque prodiisse has arterias, utut vagam esse et inconstantem earum originem declaret Kerkringius, Needham hanc ab aortae extremo deducat. (i) Profecuti sumus arteriae utriusque mirum, dum fune vmbilicali decurrunt, flexum, et quos perficiunt nodos et turbines, donec per placentam uteri sub illa quam Chorion impertitur lamina miris reptatibus et reticulari denique opere, dum anastomoses inter se celebrant, distribuuntur. Quorsum euanescant arteriae sub iudice lis est. Notabilis est sanguinis quantitas, quae singulis pulsibus utraque arteria profilit, id quod ex haemorrhagia lethali, quam recens nati ex fune umbilicali quandoque patiuntur, iudicari potest, ast illam in nutritionem placentae absumi verosimile haud est, hinc vel venis uteri absorbentibus inosculantur, (k) vel cum venae umbi-

(b) Nec laudato Trewio peruius, qui flatum stylum aliaue incassum tentauit
l. c. p. 104.

(i) De Circuitu sanguinis inter foetum et natum legatur Clariss. Heister.
Comp. Anat. not. 87.

(k) Collegit Auctorum sententias Diemerbroeck. Anat. Lib. I. cap. 31.

umbilicalis primordiis consentiunt, id quod iniectio haud obscure aliquando indicavit. Optanda est occasio, qua possit cohaesio placentae, quam in chorii duplicatura absconditam latere arbitratus est Santorinus, vasorum mutuae insertiones, musculus uteri ruyfchianus, aliaque declarari. Interea adoptamus autorum sententias. Admirationis plena res est venae umbilicalis a tenui capillarium vasorum principio exortae mirabiles plexus, quos una cum arteriarum ramificationibus pertexit, conspiciere, quando arteriae, substratas sibi et aequaliter diuisas venas ita ad decussim interfecant, fouent et amplexantur, ut hinc, qua causa mouente sanguis porro ad infantis umbilicum et ultra progredi possit, intelligatur: Num vero venae uteri substantiae irradicentur, num uteri vasa in occursum eant et anastomosi iungantur cum prioribus, num sincerus matris sanguis, an lactis specie succus in accretam placentam depluat, disquiritur magis quam definitur: Mercurius quem Cowper et Edimburgenses Medici (l) venae hypogastricae grauidi animalis iniectum in Embryone post inueniunt, expeditum sanguinis iter per vterum declarat, (m) qui paulo post quam in placenta mutatus similisque corpori tenello factus fuit, in unum venae truncum confluit spirali itinere progressum et umbilico propius accedentem. Quid porro cum nobilissimo isthoc vase fiat, coram intuiti sumus: Media vena musculis rectis abdominalibus intercedens sub linea alba in peritonaei duplicatura versus hepar protenditur, interea nullo valuularum adminiculo usa, quale quid aliis etiam venis, mesarrhaicis uteri, cordisque coronariis accidere solet, hinc abdomen ingressa, non tantum dum peritonaei perforat laminam, eam sibi adiudicat secumque comitem vehit, sed et a ligamento hepatis suspensorio dirigitur: Obseruatum id Morgagno (m) fuit, quo do-

(l) Medical. Essays T II. describente clarissimo Monro. pag. 139. Edimb. 1734. 8uo.

(m) Epistola I. quae Bianchio opponitur.

usque deduci, intelligimus. Copiosior heic loci, dum sinu hepatis partis fissuram subintrat, pinguedo venam circumdat, visumque fuit nobis rete quoddam sanguifluis vasis effectum venam ad umbilicum vsque comitari, id quod a tunica cellulari peritonaei profectum arbitrati sumus: Tentauimus flatu ulteriorem eius progressu commonstrare, hinc primum hepar totum intumescere post et thoracem et caput et superiores artus succuti conspeximus, id quod paulo post aperto thorace clarius potuit oculis usurpari: Ipsum hepar mole maius quam aduulorum esse solet, a dextro hypochondrio ita quidem, subter epigastricam regionem supraque omnem ventriculum ad sinistrum latus diuergit, vt lienem ipsum attingat, hinc et concava illius pars tum illas qui inibi protuberant eminentias, Pylas, Galeno dictas lobulumque Spigeli, extantiores commonstrat, tum et excauata magis est. Ex inflata vena umbilicali, intellectum fuit, non tantum omne hepar sed et venae portae per mesenterium ramificationes hinc intumuisse, adeoque ex effectu de immersione mutua venae umbilicalis et sinuum venae portae constitit, id quod et Morgagnius sic fieri, asseuerat et Heisterus (n) in Icone depingit: Illud negotium paulo clarius conspeximus, quando ad ductum inserti transuersim ligamenti suspensorii, non equidem alte immerfi vel cum capsula glissoniana continui, prout visum id fuerat Bianchio, quem castigat Morgagni, sed in propriam hepatis membranam mutati, dissecta fuit substantia iecoris eo vsque donec canalis venosus dilucide appareret, quem breuiori via alias in sulco hepatis quaerere et inuestigare solemus. Nullos, priusquam subiret vena sinus portae, dimiserat ramos, in quo laudatorum antea Virorum obseruationes nostra confirmauimus, ast ex quo sinus ingressa fuit, dum sese communicat, horum interuentu, omni hepatis, quo tempore dubium superfuit, exinde subnatum quod per venam umbilicalem hepar cera ad rubedinem usque iniectum aliquando fuerat, an nihilo fecius possit venae umbilicalis per hepar peculiare systema statui, Quid

(n) In Notis ad Compendium Tab. III.

Quid autem perficeret in hepate maternus sanguis, aleretne an bilificationis negotium procuraret? Canalis tamen venosus relatione ad hepar, abducentis infimul vasis officio fungitur, quia in sinu, ex quo oritur, non maternus tantum sed et hepaticus sanguis est, prout flatu in venam mesarrhaicam superiorem immisso haud obscure intelleximus redire ad canalem venosum, eidemque libere infundi posse sanguinem hepaticum: In utroque canalis venosi orificio productiones membranae interioris valuulosas existere suspicio est, nec obscure id apparet ex modo, quo ductus ille venosus coalescit; uniformis in opere natura, quae alibi magnis fluminibus valuulas opponit, hic easdem omisisse nollet. Tendini simillimus est venae umbilicalis habitus, qui manifeste innuit, debuisse eius tunicam tendineam, quam in reliquis esse suevit, existere densiorem, ita quidem, ut eam si quis venam arteriosam, quae vox Galeno de vena pulmonali in usu fuit, appellare vellet, errasse haud videretur. Sic denique sanguis nutritius embryonis venam cauam gibbae hepatis parti allabentem eidemque parum immerfam et peculiari fouea conclusam sub diaphragmate ingreditur, comeantibus huc vna, diuerso tamen infertionis modo, venis hepaticis ab hepate refluentibus quarum quaedam peculiaribus per diaphragma foraminibus supra septum denique inosculatae describuntur a Morgagnio (o). Ast vena caua nunc nouo sanguine turgida superata circuli tendinei in diaphragmate area, pericardii dextrae parti firmiter accrescit hinc ad dextram dirigitur auriculam quae et Azygos dictae venae et cauae descendens sanguinem sorbet, nullo notabili, qui tamen plerisque in ore est, Trunco: Venam hanc cauam adscendentem auersa a pericardio parte secavimus, gauisque fumus nudis hinc oculis conspici potuisse et semilunarem Eustachii valuulam, quamuis illa ad peculiarem Embryonum Oeconomiam haud pertineat, et clara magis euadat in adultis, quorum cauae si mi-

nimum

(o) Epist. I.

nimum immiseris digitum, tactu isthaec et renifus sui sensu potest intelligi. Luculenta tamen fuit et elegantem infra foramen ouale arcum reticulari opere pertextum non aliter ac Lancisius (p) id depinxerat, describit, qua potissimum nunc manum ducente facile ad foraminis oualis plenam cognitionem inducti fuimus. Diuersa omnino est istius foraminis in homine, quam in bestiis directio: Sicut enim et aliorum viscerum situs ea propter homini diuersus conceditur, quandoquidem hic perpendicularem bruta autem animalia horizontalem sub incessu seruant corporis habitum, quales diuersitates in hepate Bianchius et Morgagni in Duodeno et intestinis reliquis Edimburgenses Medici obseruarunt (q), sic et cum foramine ouali factum est, id quod brutis equidem existit inter vtramque auriculam et hoc situ ab antiquis descriptum habetur, ast homini intercedit, si strictius loqui velis, venae cauae, et venae pulmonali, id quod a Galeno (r) sic obseruatum fuit, quem recentiores omnes sequuntur: Locus adeoque foramini ouali datus est inter valuulam antea nominatam Eustachianam et superiorem auriculae dextrae crepidinem, sub qua tanquam iugo decurrit sanguinis Riuus. Winslouius (s) autumat valuulae istius usum relatiuum saltim esse ad vitam Embryonis

(p) Io. Mar. Lancis. de Motu cordis et Aneurismate, Fol. Rom. 1728. T. VIII.

(q) Medical Essays Tom. IV. Obseru. XI. per Clariss. Alex. Monro. p. 72.

(r) De Vsu Part. Corp. Hum. Libr. XV. In foëtibus vena caua in arteriam venosam est pertusa: Cum autem id vas venae officium huic visceri praestaret, necesse fuit alterum vas in arteriae usum transmutari, quo circa natura id quoque in magnam arteriam pertudit. Verum cum hic vasa inter se aliquantum distarent aliud tertium vas exiguum, quod utrumque coniungeret, effecit in reliquis vero duobus, cum haec quoque mutuo se contingerent, velut foramen quoddam vtrinque commune pertudit, tum membranam quantam in eo instar operculi est machinatus, quae ad pulmonis vas facilis resupinaretur, quo sanguini a vena caua impetu affluenti cederet quidem, prohiberet autem ne sanguis rursus in venam cauam reuerterentur. *Nec ratio est cur Botallo adscribatur quod ingenue adeo a Galeno fuit descriptum.*

(s) Act Acad. Paris. A. 1717. p. 204. Conf. Erud. Dissert. Clar. Io. Frid. Crellii, Prof. Vitemb. de Valuula Venae cauae Eustachiana, Vitemb. 1737.

bryonis in utero, clare professus, quod si inuenta fuerit Eustachiana valuula in adultis, id tunc potissimum sic accidisse, quando et foramen ouale et canalem arteriosum adhuc peruium, natura reliquerat. Ast mutauit post sententiam. Foramen adeoque ouale, cuius pro diuersa aetatis ratione diuersas magnitudines obseruauit Ridleius (t), sanguinis, tempore systoles cordis, adductis tricuspidalibus valuulis, maiorem partem sorbet, eundemque venae pulmonalis sacco venoso, si tamen ille est, nec potius auricula ipsa venarum pulmonalium terminus habetur, committit; Singularem hic adhibuit sapientissimus creator industriam in valuula quadam adornanda, Galeno iam descripta, quam membranam fluctuantem appellat Heisterus, quae foraminis oualis omnem capacitatem praeccludit. Hanc nullo artificio nudam et stylo adductam commonstrauimus, ita dispositam, quo facilis sinistram auriculam versus conuieret, vi adducta versus dextram, resiliret. Obseruauit praeterea in sinistrum latus respiciente plano istius valuulae Morgagni praetensos tendineos lacertos, ut eo maior esse possit virtus resistendi fluminibus, si quae a sinistra ad dextram niti vellent ob sanguinem pulmonicum illuc commeantem. Ast, sicut nihil de pulmonico sanguine extimescendum, qui parcus admodum ad sinistrum cor adfluere potest, collapsis pulmonibus nulloque officio vitali fungentibus, ita eum maxime in finem sic affabre facta est valuula, ne columna sanguinis in auricula sinistra tempore systoles stabulata, renitatur et in succedentes undas impingat. Interea tamen haud mediocriter suam sententiam de sanguinis circuitu per pulmones defendit Meryus (u), opinaturque sanguinem istum postquam ad auriculam sinistram accesserat nunc per foramen ouale dextrorsum defluere et in auriculam dextram praecipitem dari. Opposuerunt se isti sententiae

(t) Obseru. quaedam Medico-pract. et Physiolog. nouiss. Edit. Lugd. B. 1738. 8uo, p. 184. sqq.

(u) Nouveau Systeme de la Circulation du Sang par le Trou ouale, par Jean Mery ext. c. eiusd. Obseruations sur la maniere de Tailler pratiquée par Frere Jaques.

tentiae magni in arte viri (x). Quam opinionem etiam si valuulae structura non inuenteret, hydraulicis rationibus pessundatam arbitror. Impossibile enim est flumen paruum, quale est sanguinis pulmonici, superare virtutem resistendi in flumine maiore, quod est omnis in omni corpore ad auriculam dextram commens sanguis. Huius valuulae vestigium postquam etiam cum omni foraminis ambitu coaluit, nihilominus superest mediae aetatis hominibus, circulus scilicet aliquis membranaceus pellucidus in septo auricularum conspicuus. Utriusque systematis, quod Academiam Parisiensem in partes distraxit (y), rationes erudite ventilauit saepius laudatus Trewius. Tertia enim hinc enata est sententia: Foramen ouale, nunc communicationis Ridleio et Winslouio dictum, mutuam utrique auriculae praestare operam, diffluere hinc et inde sanguinem, atque id effici, quo auricula utraque una esse reputetur, sicut interueniente canali arterioso ventriculus nunc uterque pulsu synchrono in unam aortam conspirans simplex esse videtur, hinc vitam piscium, quae branchiis respirant, quibus una auricula est unusque ventriculus, viuit embryo; Piscibus certe et qui pulmonibus respirant, Balaenae, Phocenae, Delphino, et qui in sicco viuunt animalibus amphibiis, testudini, ranae, cochleae, quorum exemplis ad cor embryonis declarandum usi sunt Parisienses (z), eadem conditiones per omnia concessae fuerunt. Certum est, pulmones debere ab opere vacuos esse, hinc nullo indigere sanguine tanquam actionis obiecto praeter illum, qui nutritius est et per arteriam branchialem Ruyfchii abunde adducitur, adeoque quamcunque ex adductis sententiam quis amplecti velit, utut probabilius et structurae partium conueniens magis sit sinistrorsum decurrere sanguinem, omnes reputant, canalisi arteriosi officium in eo confi-

(x) Verheynius Anat. Edit. Geneu. Tom. II. p. 399. aliique.

(y) De antiquo Haruaeano et nouo Meryano Systemate, legatur Ridleius l. c. Trewius l. c.

(z) Act. Acad. Reg. A. 1693. p. 189.

XXX

consistere, quo sanguis, quem dexter cordis ventriculus suscepit, pulmonica arteria proiectus et pulmones maximam partem praeterlapsus hoc interueniente ductu ad aortam dirigatur. Scire autem perarduum est, quibus causis sanguis, quem oportet effectum systoles experiri, adeoque quousque patent arteriae progredi, nihilofecius a pulmonibus auertatur. Prouocat Winslouius ad pulmones collapsos, qui parum sanguinis capere possint, hinc necessitate coactum sanguinem ad aortam depluere affirmat, ast accedit ipsa etiam canalis fabrica, et productio valuulosa seu membranae interioris luxuries quaedam a clarissimo Trewio descripta, quae sanguinis flumen dirigere, et prout in canali venoso factum id fuerat, coalitum postea procurare possit, qualem productionem etiam huic canali largitur Cl. Vir, qua parte aortam spectat, ne maius scilicet aortae flumen in minus impingat motumque eius impediat, quem in finem prout in aliis vasorum insertionibus, oblique praetenditur, nisi valuula, membrana certe valuulosa. In vitulino corde conspiceret nobis haec omnia licuit, maiori scilicet pretio mihi habitum fuit corculum, quod dilacerarem, dum integrum viscerum nexum, in quo potiora Embryonis nutriti capita sufficienter comparent, usibus commilitonum ob occasionum eiusmodi raritatem, seruo, siquidem frequentes expectare infantum sectiones vix licet. Interea conspexerunt commilitones promptitudinem, qua aer foramine ovali inflatus, intactis pulmonibus per istum canalem migrauerit et per arteriam umbilicalem postea prodierit, et qua per contrariam motus legem aura arteriae umbilicali immissa hunc ipsum canalem repleuerit, ita quidem ut de communicatione et duplicis auriculae et duplicis arteriae nullum nobis superfuerit dubium. Reliquas homini nondum nato concessas a sapientissimo creatore conditiones nil minus perstrinximus. De organis nutritioni destinatis ita quidem inter nos actum fuit, quo partim quae in ore, partim quae in ventriculo et intestinis fieri solent, declararentur. Edentuli tenelli gingiuis a maxilla ablatis viderunt, et adhuc in sceleto hinc facto vident nostri, dentium sta-

tiones et alveolos, quibus iam egressi duo incisores prominent, molliusculi et fere gelatinosi, proximi his, formati, ast parum prominuli et folliculo occlusi comparent, molaribus adhuc alta quiete oppressis, quorum rudimenta vulnerato folliculo albumini ouorum simili materie diffluerunt. Altera dentium Incisorum aequae ac caninorum series priori substrata ex alveolorum tumore potuit iudicari, nec praeparata defuerunt, quae istud negotium abunde declararent. De Nutritione Embryonis per os multa a sententiae istius fautoribus afferri solent. Legi merentur ea, quae Heisterus habet, sicut et ea quae pro affirmatiua militare possunt argumenta sollicitè collegit saepius laudatus Diemerbroeck et Trewius (a). Hinc vel a liquoris Amnii nobilitate, vel omnium, quae digestionem spectant, causarum penes embryonem agilitate, salivae, liquoris pancreatici, bilis potissimum praesentia, fecum aluinarum cumulo, valere posse videtur, ad nutritionem per os, consequentia. Nihil equidem, quod ab adulti hominis organis chylopoëis magnopere differat, deprehendi solet in embryone, ast ventriculi tamen situs tantillum discrepare visus fuit, a volumine scilicet hepatis fere omnis ad sinistrum hypochondrium depellitur, pyloro non eminentiorem fundo, sed humiliorem locum occupante. Continebat autem *nostrae* ventriculus, utut nondum matris ubera suxisse diceretur, saburram Meconio per omnia similem, adeoque de liquore Amnii intra ventriculum reperiundo nihil certi constitit, fortasse auditoribus suo tempore et de hisce uberiora proponi poterunt. Meconium ipsum a succi papaverini quoad colorem similitudine sic appellatum, bilis utriusque ramentis, mucos intestinorum et liquoris Amnii fecibus, remixtum sic vulgo dici solet, neque tamen intestinum vermiforme, utut canalis intestinorum abunde farctus hoc esset, ullum in se continuit meconii vestigium. Hinc tum alii tum e recentioribus Acta medi-

(a) De chylofo Foetus in vtero, Altorff. 1715. Multa erudite contra Nutritionem Foetus per os profert Clar. Monro Medical Essays Tom. II. p. 124. 199.

medica Edimburgensia (b) usum huius appendicis ab aetate embryonis ad uniuersam transferunt, nihil peculiaris in homine nondum nato hoc ipso effici putantes. Quin potius ob insignem glandularum in tunica interiore eius numerum, et ex his propullulantem feri quantitatem lubricare illud saccum intestini coeci, rectius dicitur, siquidem nec in adultis adeo illud extenuatur, quo possit usus expers esse, quin potius valuula conuiuens eius orificio praestructa singulare quid indicare videtur. Longius equidem illud est in proportione ad eurythmiam partium, ast numerum adeo valde haud excedit, ut peculiare beneficium hinc ad embryonem proficisci posse quis arbitretur. Quod mesenterium spectat, ita quidem istud a statu hominis adulti diuersum iudicatur, quo eius duplicatura praetenuis et glandulae mesarrhaicae mole maiores appareant, sicut ubique glandulosum genus infantibus nedum embryonibus mole luxurians concessum fuit ob lymphae ad incrementum adeo praecox, quale est embryonis, necessitatem. Nam tantum incrementi capit a tenui suo intra ouulum primordio ad partum usque, quantum post omni ad consistentem aetatem tempore capere nequit, hinc lymphae uberiore opus est, hinc glandulae conglomeratae et conglobatae, inguinales, intestinales, omnes, mole eminent. Cum primis autem induci solemus, dum vel glandularum suprarenalium vel Thymi singularem in embryonibus magnitudinem conspiciamus, ut credamus, esse quoddam earundem praecipuum in homine nascituro officium. Glandulam Thymum quod attinet, conspexerunt isthanc conglomeratam nostri, qualis non nuda pericardii sinistri superficie adhaeret, sed intra duplicaturam eius continetur, nec in thorace tantum conspicua sed sub iugulo delapsa et iuxta carotidem arteriam ad thyroideam usque ascendens. Sunt nobilissimae huic glandulae sua vasa sanguiflua nerueaque fortasse et proprii

) (3

prii

(b) Medical Essays and Observations revised and published by a Society in Edinburgh. Vol. IV. Edimb. 1737. p. 86. sqq.

prii excretorii ductus, quos tamen quorsum tendant declarare adhuc nemini licuit, siue quod liquoris pancreatici hae sint scaturigines, siue quod lacteus ille humor, quem in thymo vitulorum aliorumque animantium uberiores reperire solemus post partum, id quod et aliae glandulae sic perficiunt, sanguifluis venis affundatur. Ductus istos lactiferos non in brutis saltem animantibus, sed et in homine inueniri cum Haruaeo docet Diemerbroeck, praeter quod copiosa sint eius superficiem perreptantia vasa lymphatica, quae Whartonus in subclauiam venam inserta notauit. Ad nutritionem foetus pertinere, quae intra thymum fiunt, arbitrati sunt quidam, et inter alios Bellingerus Anglus, quem citat Clariss. Heisterus not. 37. Negat tamen peculiare quid Embryoni praestare thymum et constantem omni vita ei actionem quandam esse asseuerat exercitatissimus Monro (c), quo etiam docente intelligimus glandulam suprarenalem utut maiorem in Embryonibus non tamen maiori his quam adultis utilitati esse posse. Qui enim genuinum earundem in adultis usum ignoramus, utut variae a variis adducantur sententiae, quas recenset Diemerbroeck, quid de Embryonis statu certi declaratique affirmari possit, haud video. Eundem equidem, quem in adultis situm seruant, ast volumine excedunt et ipsorum renum mensuram aequant, scatentes liquido bilis colorem referente. Renes ipsi embryonum non parum ab habitu renis adulti discrepant, siquidem ex diuersis glandulis in unum corpus coalitis manifeste constant, hinc inaequalis est eorundem superficies et in areas distincta quam singulam membranae exterioris renum processus alte immerfus distinguit; Tale quid in vitulis etiam annotamus, imo piscium pulmonibus respirantium et canali arterioso et foramine ouali instructorum renes eundem in modum fabrefacti acinorum instar a racemo dependentium apparent, prout in Delphino olim

rei

(c) Loc. cit. Aetorum Edimburgensium.

rei experimentum feci. Funguntur interea renes eodem quod adultis praestant officio, et urinale ferum in vesicam destillant, quae quorsum euadat quibusque viis effluere perhibetur iam in superioribus fuit indicatum. Quae in Sexu sequiore obseruari solent praecipua, puellarum embryonum vel recens natarum momenta tam hymenem respiciunt, cuius indubitata existentiam in simili casu demonstrat Heisterus, vel nympham aut clitoridem, de qua nuper admodum eruditus Vir Trochinus (*d*) ita commendatus est, ut melius quis non possit, qui nympham in foetibus humanis trium imprimis quatuorue mensium inter labia sic praeminere asserit, vt colem perfecte mentiantur, quam rationem esse reputat, cur facti hoc tempore abortus a matribus et obstetricibus pro masculis habeantur. *Nostrae* clitoris maiuscula fuit pro aetate, ast haud difformis. Ossium differentias, cum post Albinum (*e*) erudite magis feliciter exponere quis vix audeat, quarum etiam publice mentionem, ex instituto haud feci, auditoribus suo tempore plenius ex sceleto suis ligamentis cohaerente, exponam. Circumstantiarum istarum omnium, quae vitae humanae conditionem in utero definiunt, qualia in corpore adulti vestigia superesse soleant, declarare suscipiam in Cadauere exsanguinec morbido, cuius opportunitatem nactus sum. Et praesens quidem potissimum labor futurus est, viscerum situm, nexum et structuram uberius exponere, in quo non artis saltim cultoribus, sed omnibus, quorum interest, quibus viuant valeantque, motuum leges nosse, grata me praestitutum officia arbitror. Domini Philatri me habituri sunt in omnibus, quae reliquas attinent anatomiae disciplinas facilem, in quorum etiam gratiam doctrinam

de

(*d*) Theodorus Trochin Dissert. inaug. Med. de Nympha 1730. extat c. Dissert. Med. duabus, Lugd. Bat. 1736.

(*e*) Bern. Siegfr. Albini Icones ossium foetus humani, accedit Osteogeniae brevis Historia, Lugd. Bat. 1737. 4.

de ligamentis ossium sub finem adnectam. Prima isthaec publice suscepta conamina suo favore subleuabunt *Rector Academiae Magnus, Illustrissimi Comites, utriusque Reipublicae Proceres Grauiissimi, Generosissimi nobilissimique Commilitones omnesque Anatomiae Fautores*, quos diei Iouis Hora II. pomeridiana, Philiatros autem horis simul antemeridianis, quae praeparationi destinatae sunt, quo frequentes comparere velint, decenter omni cum honoris praefamine cupio inuitatos. Dabam

Lipsiae d. 27. Febr. M DCC XXXVIII.

L I P S I A E,

L I T E R I S I O. C H R I S T I A N I L A N G E N H E M I L.



Am A 2232